



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In  
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

Reg. XXXIX. de litteris Religiosorum expediendis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

Regula tradunt, post conclusionem in causa probationes facti & instrumenta produci non posse, quod & probat Jaf. in reper. l. admonendi num. 50. cum seq. ff. de iur. Socin. reg. 84. DD. in c. pastoralis, verbo conclusum, de causa poss. & propr. maxime in causis profanis & ordinariis, ut scribit Ant. Gravat. ad Vellirum. Ratio est, quia facta conclusione dicitur liquere de causa, gl. in c. significaverint in verbo liquere de testibus. prædicta autem conclusio quot patiatur limitationes, vide apud Mathefil. singul. 54. Gail. lib. 1. observat. 107. numer. 5. 10 & seqq. Veltrium in praxi lib. 4. c. 4. num. 25.

Ista Regula sequentes ) Et sic ista Regula est ultima iudicium, & vix prædicatur, inquit Gomefius hic, propter facilem conclusionis derogationem.

*Argumenta in Regul. xxxvii. INNOCENTII VIII.  
qua est PAULI V. xxxix.*

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Per appositionem manus Papæ beneficium amovibile sit perpetuum &amp; irrevocabile.</p> <p>2. Papa non censetur derogare juri antiquo &amp; religioni.</p> <p>3. Non obstante collatione Papæ monachus potest à suo Prælato ex causa removeri à beneficio.</p> <p>4. Cautela contra hanc regulam.</p> <p>5. Gestæ contra mandati formam sunt nulla.</p> <p>6. Papa majorem sibi potestatem reservat quam confert.</p> <p>7. Curæ pretium esset si Papa certas regulas faceret concernentes litterarum expeditiones per suam Cæmeram.</p> | <p>8. Secretarius Papæ an poterit solus Bullam corrigere postquam expedita est.</p> <p>9. Non creditur in præjudicium alterius attestanti sibi quid mandatum à Papæ vivæ vocis oraculo.</p> <p>10. Motus proprii Papæ tollit tantum subreptiones.</p> <p>11. Monachus habens prioratum à Papa tenetur renunciare ad mandatum Abbatis si Papa non dixerit quod non removeretur.</p> <p>12. Beneficium manuale consuetudine factum perpetuum Monacho per Papam collatum non potest amoveri ad nutum superioris.</p> |
|---|---|

Ccc

Reg.

Regula xxxvii, Innocentii viii.  
qua est xxxviii. Pauli v.

DE LITTERIS RELIGIOSORVM EXPEDIENDIS.

Item voluit, & ordinavit, quod si aliqui religiosi petant aliquod beneficium ad nutum revocabile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis vel Superioris non possint amoveri litterarum quoad clausulam ipsam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura quod non possint amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

GLOSSEMA ALPHONSI.

In ista Regula dicitur quod si Monachus impetret beneficium sua religionis quod quidem possit Abbas vel superior suus ad nutum removere ab habente quando si placet, & petit Monachus quod non possit ad nutum superioris amoveri, quod Abbreviatores non ponant istam clausulam, nisi in supplicatione ponat Papa in signatura quod non possit amoveri, vel in clausulis infra in supplicatione positis hoc petatur, & Papa dicit simpliciter fiat ut petitur: hoc dicit, & ratio dubitandi videbatur, quod licet beneficium sit ad nutum revocabile: tamen quia Papa apposuit manus, videbatur, quod foret irrevocabile argum. cap. ut nostrum de app. & cap. i. ut Ecclesiastica beneficia: & idem videbatur quod etiam Abbreviatores & Vicecancellarius possint expedire litteras, & quod in supplicatione hoc petatur, & Papa simpliciter concessit. Sed ratio deest, quia quod Papa non vult praedjudicare religioni & antiquo iuri: nam Monachus est stricti iuris, ex quo posuit hominem supra se, ut dicit glossa in cap. si verè xvi. quaestione in fin. ideo non vult Papa quod indirectè Monachus ab obedientia Abbatis sit exemptus, unde licet Papa conferat alicui beneficium, non propterea sequitur quod à suo Prælatu non possit ex causa privari illo beneficio quia reatus omnem excludit honorem l. moveat Cod. si ser. expor. & hoc vult Bald. in cap. illud. de ma. & obed. alias debet dicere in c. per tuas eod. tit. ubi bonus text. & gloss. de hoc & ibi Doctor. in cap. cum in distribuendis de temp. ord. & ibi Joan. And. Item, licet Bald. in cap. dicat, quod si monachus habet Prioratum à Papa, quod non tenetur renunciare ad mandatum Abbatis, & alleg. Ioan. Andr. in cap. cum inter, de elect. & credo quod dicitur

debit allegasse in dicto cap. cum in distribuendis: tamen hoc verum, quando Papa dicitur quod non remoueretur, alias secus: faciat gloss. iuncto text. in cle. prima de supp. negligentia prelatorum.

Et ex ista regula, iuncta illa supra xxv. potest quod Auditor coram quo producitur talis Bulla expedita, quod visa supplicatione, ubi non sunt verba Papa hic posita, potest remittere bullas corrigendas ad Cancellariam, & tunc corrigerentur illa Bulla per illam Regulam; tamen cautela est hodie contra istam Regulam, quod expeditur Bulla per Coneram, & tunc quia Papa apposuit manus, non se potest Cancellaria introumittere, argument. dictorum iurum, & sic practicatur hodie, tam in Rota quam in Cancellaria, licet dicatur hic quod nullatenus exprimantur, & sic videtur quod factum contra formam mandari sit nullum, leg. diligenter ff. mandati & cap. cum dilecta de receptis. tamen hoc habet locum in expedita Bulla per Cancellariam, quia ista est Regula Cancellarie & non Camere, ubi maiorem Papa penes se potestatem reservavit, quam hic tradidit in cap. dudum & cap. quamvis Ioan. 11. de preben. lib. vi. Ideo esset bonum, utile & sanctum, quod faceret etiam aliquas constitutiones Papa, quoad Camera, etiam secretam, sicut quoad Cancellariam, maxime circa expeditiones bullarum, que etiam expeditur sine supplicationibus quotidie: ideo in talibus bullis si posset haberi una commissio, quod corrigerentur secundum tenorem supplicationis, bene esset, si autem oportet quod habeat patientiam Abbas. Et non credo quod Secretarius solus posset corrigere Bullas etiam in registro bullarum postquam Bulla sint expedita, quia Papa apposuit manus ut dixi, etiamsi dicat hoc factum de mandato Papa viva vocis oraculo sibi facto, quia sibi non crederetur etiam Cardinali & in preiudicium alterius, etiam in curia, sufficiat gloss. not. de sentent. excommun. cap. sicut & ego allego aliam in cap. nuper eodem titul. & hoc vult Ioan. Andr. in cap. quod super his, de fide instrument. de quo satis dixi in questionibus Cardinalium, & pro nunc sufficiant hac: & credo quod etiam Cancellaria seruet hanc Regulam, licet supplicatio sit signata motu proprio, maxime si esset facta una Regula quod motus proprius tantum tollat subreptiones, & non operatur alium effectum, pro quo facit gloss. in clem. ff. Romanus de preben. & credo quod ista non sit danda: ideo si Auditor mitteret Bullam ad Cancellariam ut dixi, dubito an posset facere, & an Cancellaria deberet obedire ipsi, quia dicitur sibi quare defendis villas &c. viii. dist. quo iure, nec vidi fieri tempore meo.

## COMMENTARIA IO. A CHOCKIER.

- A** **Q**uod non removeretur ) Ad stipulatur Rebuff. in addit. ad hanc regulam per nos, Archid. in c. presentis de off. ord. in 6. vel nisi beneficium alias manuale factum esset perpetuum consuetudine vel prescriptione, ut fieri potest, *Molin. in cap. verbo religiosus non potest consentire num. 9. Gambart. tract. de off. leg. lib. 4. c. 3. n. 19. text. in cap. cum de ben. 5. de preb. in 6. maxime si ejusmodi consuetudo, vel prescriptio processerit à tempore, quo sciente & patiente illo qui jus removendi pretendit, fuit aliquis provisorius in titulum perpetuum, & talis provisorius habuit effectum Gonzales ad Reg. & Cancell. glo. 5. §. 6. num. 24 & seqq.*
- B** Non credo quod secretarius ) Vide hac de re Vestrum in praxi lib. 1. c. 7. ubi latè de officio & potestate Secretarii Apostolici.

*Argumenta in Regul. XXXVIII. INNOCENTII VIII.  
qua est XI. PAULI V.*

1. Hæc Regula conformis est juri communi.
2. Cautela contra hanc Regulam.
3. Camera Apostolica raro servat regulam, ut & aliquot sequentes.
4. Clausula istius Regulæ, etiam si non apponantur, pro appositis tamen de jure habentur.
5. An hæc Reg. sit de dandis.
6. Compermutans si non habuerit jus in beneficio renunciato, an alter possit redire ad suum beneficium, sine nova collatione?
7. Cautela pro compermutante ubi constat alterum nullum jus habuisse in beneficio. Clem. Auditor de Rescript. an habeat locum extra Curiam?
8. Ampliorem Jurisdictionem habet extra Curiam Delegatus, quam Auditor.
9. Clausula istius Regulæ, de jure sunt contract. permutationis, idcirco si non apponantur, non vincunt Regulam.
10. De jure permutatio non subsistit nisi si beneficium sint permutantibus propria.
11. Compermutans potest redire ad suum beneficium sine nova collatione, consensu tamen superioris accedente, si alter nihil juris habebat in beneficio permutato.
12. Renunciatio ex causa permutationis veram inducit vacationem.
13. Permutatione effectum non secuta, quando liceat auctoritate propria regredi ad beneficium.
14. Jus non abdicatur à resignante vel compermutante, nisi resignatarius.